CARMEN DE ADAMI LAPSU REVERENDISSIMO JOSEPHO GRASSERIO...

Marco Antonio Marinelli



CARMEN

DE

ADAMI LAPSU

REVERENDISSIMO

JOSEPHO GRASSERIO

EPISCOPO VERONENSI

DICATUM



VERONAE

EX TYPOGRAPHIA CRESCINIANA

EPISCOPALI ET CAPITULARI

MDCCCXXIX.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

JOSEPHO GRASSERIO

IN SEDE EPISCOPALI VERONENSI

LOCATO

MARCUS ANTONIUS MARINELLIUS

PRAESBYTER VERONENSIS.

Quod liber hic, de Adami Lapsu inscriptus, in lucem denuo efferatur, id praeclarissimi nominis litteratorum hominum suasu, qui plus laudis ipsi tribuerint, quam ego praesumpserim, factum est. Quod autem tuo illustri nomine, Reverendissime Praesul, insignitus sit, magnum adjumentum additum puto; quo gaudeam, et tibi plurimas gratias referam.

IN USUS

LATINI SERMONIS

COMMENDATIONEM.

Cum aliqua animi, fateor, indignatione, non multo abhinc tempore, reperimus typis mandatam sententiam illam, quae asserit: emortuum Latii omnino sermonem esse; ipsumque nullius utilitatis. Quo modo, quaeso, emortuum omnino litterarum illud genus dici potest, integrum quod ad nos deductum est, litteratis hominibus manifestum, permultis libris consignatum, ab eruditis oculis perqui-

situm? Num id erit, quod latine non loquimur? ast ore loquimur tantum? nonne etiam calamo? Verum, si ipse calamus os est, et lingua litteratorum hominum, illud hercle sermonis genus, ipsi quo saepe utuntur, extinctum non putabo; verum vivum et integra valetudine. Dum igitur extabunt libri, doctique viri, qui extabunt semper, latinus sermo et vivet et integer permanebit. Vulgo ergo tantummodo, aut insipientibus, mortuus erit: ast istis haud scio equidem, quid usquam gentium vivat. Quapropter eruditus vir ille, qui aliter opinatur ac ego sentio, precor, sententiam mutet, et homines ab optimo elocutionis genere, non parvo excultae aetatis no-

strae detrimento, non retrahat ac deterreat. Quoad utilitatem vero; nonne admirationi et maximo decori est, eo ipso sermone commode uti, quo praeclarissimi ac spectatissimi viri, a nobis longissimo temporis intervallo sejuncti, et ab omnibus avide oculis perquisiti, usi sunt? Et quod laudi et decori est, omnino futile erit? Quidquid igitur concinnitatis et pulchritudinis in orbe terrarum est, tamquam nullius momenti res, aspernandum erit atque rejiciendum? Quis unquam sanae mentis id sibi persuadebit? Quis subito vel abradat vel tollat funditus, aut domi aut foris, quidquid ad visus auditusque suavitatem tantum accomodatum inveniat? Utinam deni-

que quod scripsi, ut ad me veniam, recte et concinne scriptum sit. Sin id, quod vereor, plane non assequutus sum, id non sermoni, hercle, verum imperitiae meae omnino tribuendum erit. Quapropter, lector benevole, comitate et facilitate tua, libello huic, de Adami Lapsu qui inscriptus est, tribue quodam modo quod deest. Perlege igitur, et vale.

Quae dulcem tollit nullo discrimine vitam
Undique, permagnis numquam tardata querelis,
Illic, multa dolens animo, quo Numinis alma
Mens voluit, saevis stabat comitata ministris,
Ante datam, miserum! legem, quam frangeret Adam.
Qui coelum terramque regis, qui lumine ducis
Errantes hominum mentes, abigisque tenebras,
Dic, quis rerum ordo, primi qua peste parentes
Et periere, data et morti saevire potestas.
Ingens Armeniae specus est sub montibus altis,
Semita quo tenuis gressum vix ducit euntis:
Intus erant, saxo clausae, manicisque revinctae,
Invidia, atroces irae, insatiata cupido;

Et quae corda hominum, corpus quae dente maligno
Dilacerant, quas inter mors turbata residens,
Nunc has, nunc illas oculo lustrabat inani.
At durum perpendens fatum, augensque furorem,
Iramque, ut mare si forte improbus urgeat Auster,
His cordi irato indulsit tandem effera dictis:
Scilicet hic morer, aeternis his fixa latebris,
Imperium exercens nullum, cui tota pateret
Terra equidem, coelum magnis quam amplectitur ulnis?
Nonne meo jam nutu dulci excedere vita
Deberent omnes olim matresque virique,
Et primo sponsae thalamo, innuptaeque puellae;
Quique forent mundo celebrato nomine Reges?
At mihi si vires nullae, vis nulla futuro
Tempore erit, devinctis hic clausisque ministris,
Quidnam Reginae nomen, Divamque vocari
Juverit? ingratas voces! quas laeta repono.
Turbida nunc magis ipsa his, et magis aspera dictis,
Secretum per iter, dederat quod terra dehiscens,
Tartaream sedem subito furiata petivit.

Est inferna domus, nigranti gurgite septa,
Qui jacet immotus, monstris qui totus inhorret;
Ex quo turpis odor, radius cui lucis opacae.
Ipsa levi trabe, quam sibi jam tum construit, oras
Oppositas petit, horrendis nil territa monstris,
Quae tacito obtutu ignotam aspexere carinam.
Ut ventum ad portas, illi quae cardine verso
Et subito patuere, viamque dedere petenti,
Obstupuit, cunctanti gressu oculisque requirens
Aeternas sedes, Numen quas destinat irae.
Vidit, quos coelo fulmen dejecit ab alto,
Duris detentos vinclis, et digna ferentes;
Conspexit loca culpis designata futuris.
Tartareum agnoscit regnum, poenasque, modumque;
Hinc solium accedit magnum, regemque petivit.
Quem ut vidit coram immanem, flammasque vomentem
Faucibus horrendis, hinc atque hinc torva tuentem,
Extimuit primo; tum illi sic ore locuta est:
Magno consilio Rex, imperioque potenti,
Cui mea conjuncta est parvo discrimine sedes,

Supplex nunc venio, magna et tua numina posco.
Stant, mi rex, mundi praeclara in parte locati,
Et genus, et nomen mitto, vir, sponsaque, forma,
Qua nullam, credo jam, vel longa afferet aetas.
Nunc, tibi qui magnum quondam praeclusit Olympum,
Teque has ad sedes crudeli fulmine adegit,
Nunc illos fovet. Illis dum fert omnia tellus
Miti sub caelo, ecce meo solvuntur ab omni
Imperio: stat enim, vidi, illos ante locata
Propensis arbor ramis, pulcherrima visu,
Aetatem dulci quae fructu intégrat edenti,
Aeternatque dies. Illo ergo dum ipsa fruatur
Gens, avidis carpens manibus, gnatique, nepotes,
Ingratis tenear claustris, caecisque tenebris.
Nunc age, si lubeat, sortem miseratus iniquam,
Tu nostro succurre malo, tu porrige dextram:
Tute opus aggredere, et nulli mandata tuorum
Committas; vade, et foecundam concute mentem:
Fatalis ligni execrandos disjice ramos,
Vel totum convelle manu radicibus imis,

Inversas coelo radius quas excoquat alto.
Spes alit haec animum; tibi plurima gratia facti.
Talia dum illa furens animi jactabat, in ipsa
Totos rex figens oculos, tacitusque revolvens
Omnia tum secum anceps, fari his vocibus orsus:
Nec grata aut ignota mihi jam nuntia defers;
At nondum, potior quae sit sententia, constat:
Si quid agam, referam tibi, si tibi proderit unquam.
Nunc animum seda; incipe spe lenire dolorem.
Dixerat; hinc partes tacitus se volvit in omnes.
Nunc si majus opus moveo, Mens Diva, caduco
Suffice vim calamo, memorandam qui explicet artem,
Heu miserum! qua victus Adam, qua victa virago est.
Omnimodis exsultans undique et undique mundus,
Ingenua laetus facie, viridique juventa,
Intentos primorum oculos implebat amantum;
Gaudia qui mentis vario sermone serebant.
Ast terrae queis praesto omnis coelique voluptas,
Una tamen posita est lex, unum instansque periclum.
Stat facilis visu media tellure reposta

Arbor, qua infestus fructus pulcherque nitescit,
Quam si accedant, hinc mundo genus omne malorum
Credant invectum; hinc via questubus ampla futuris.
Interea Satan, fatalis criminis auctor,
Vertere se in formas subito quascunque paratus,
Se intulit in mundum; citus et loca laeta petivit.
Qualis, si perlonga fames saltu expulit alto,
Confidens nocti, nebulaque intectus amica,
Praesepe aggreditur lupus: intente omnia lustrat
Nunc oculis, nunc auribus, et tota abstinet ira;
Perfidus haud secus ille locos invadit amoenos.
Forte Adam, curarum nondum percitus ulla,
Dum prope decurrens ripis hinc murmurat unda,
Dum teneras frondes hinc lenis commovet aura,
Praedulcem casto proflabat pectore somnum.
Non longe conjux, oculos devicta nitentes
Floribus emissis, nunc huc, nunc leniter illuc
Laeta pedes movet, et gaudet vernantibus horis.
Sollers hinc Satan, coluber jam factus, amoenum
Illic per gramen maculosa volumina versat

Lubricus; incoepitque dolosae accingier arti.
Qua ipsa pedem figit, manibus qua lilia carpit,
Ille subit, docilemque suis se tactibus offert.
Heva manu molli gaudens tangitque fovetque,
Inscia quae infelix sibi, quamque infanda pararet.
Excipit imprudens gremio: impius ille receptus
Vel blando attactu per levia pectora serpens
Sollicitat cupidam, atque adfarier incitat ore.
Heva locum nullum fraudi, nullum Heva periclo
Perspicit; omnia tum sibi, quae nota, ordine pandit.
Nec silet impositam legem, qualesque futurae
Sontibus hinc poenae, coeli quas destinat ira.
Quin etiam ipsum lignum, oculisque manuque propinquum
Indicat; idque iterum, jam visu et mente morata.
Tunc ille eventus coepit praesumere laetos,
Ipsamque affari, et cautis his volvere dictis:
Tu ne, tuo omnia quae libito sint credita, gaudes,
Cui nulla impendet coeli terraeque ruina,
Ingratam ne feres legem; exoptabis opimum
Jejunans fructum, tibi qui se se exhibet ultro?

Heu miseram! nescis, nescis quae dona sequantur
Fructum excerpentem: secreta arcana revelem.
Scit, Numen, credas, vetito quaenam indita succo
Virtus; scit, subito excelsam ut sibi comparet esca
Mentem quivis, utque Deum se vertat in ipsum.
Hoc hoc deterret, poenam hoc praedicit et iram:
Id tibi fige altum cordi, immotumque residat.
Exue nunc vinclis animum, nunc exue mentem;
Carpe quod exoptas, mulier; jam absiste morari.
Parva mutabis coelum tellure serenum,
Quo astrorum facies et cursus ordine nosces,
Et magni imperium coeli, rerumque tenebis.
Talia dum memorat, crimem dum fingit iniquum,
Cuncta Heva expendit, partes cunctatur in omnes:
Hinc coeli vetitum urget dudum mente receptum,
Exterretque adeo, quae poena minatur et ira:
Exhibita hinc bona sollicitant et saeva cupido;
Nunc dirus timor angit, spes nunc incitat alta.
Heu durus labor, infanda heu certamina mentis!
Ast miseram nimium tangit, saevitque cupido.

Cuncta sibi repetens iterum promissa per aures
Capta, iterum fructum jam mente oculisque requirens,
Laeta metum depellit; spe visuque ministris
Arripit, et prensum, insatiato lumine, lustrat.
Semesum inde ipsum, longo sermone revelans
Credita jam sibi, dat firmo visuque sereno
Cunctanti sponso, crimen quem territat altum.
Qui simul ac victus dictis uxoris amatae est,
Terrifica ter coelum voce immugiit ipsum.
Terra tremens subito montes ter concutit omnes;
Frondes hinc nimbo instanti rabieque minaces;
Hinc rumore novo pecudes cunctaeque volucres,
Omnia conclamant, primos cecidisse parentes.
Heus! infanda dies, ex te genus omne malorum
Invectum mundo. At quem te meminisse juvabit! --
Ut canis edoctus, praedam meditatus, inanem
Si cursum tenuit, culpa aut foedatus iniqua est,
Non illum alta domus recipit, non praemia quaerit;
Sed pavidus domini longe solusque silescit;
Sic illi, miserum! queis cuncta per ossa cucurrit

Pergelidus tremor, ipso et vultu culpa patebat;
Dejectis animis tutas petiere latebras.
Omnia prospiciens magni Regnator Olympi
Advocat actutum, sua qui mandata capessat;
Talibus hinc infit: magnum nunc vise recessum,
Quo mortem clausi Armeniae sub montibus altis.
Ipsi sponte sua volventur cardine postes,
Concedentque aditum facilem, semperque patebunt.
Tunc ipsam accede; et firma haec mea dicta repone.
Quod teneat nunc, intensa quae mente petivit,
Ne nimis attollat sensus, nec jactet inanis
Seque suosque dolos; meditor, quas ponere leges
Possum. Centeni longam percurrere Soles
Debebunt utrinque viam, prius illa solutis
Quam regnet famulis. Magis at quod pertinet, ipsum
Defer decretum: sua jam qui conteret arma,
Captivamque ipsam ducat quondam affore coelo.
Qualis avis, pedibus praedas quae eviscerat uncis,
Si colubrum in ripis, leni aut in flumine cycnum,
Omnia dum scopulo collustrat, prospicit alto,

Tum liquidum per iter similis se proripit Euro;
Sic citus ille viam praecelso coepit Olympo.
Hinc longum per iter venit, notumqus revisit
Aethereum campum, quo bella exhausta fuere
Viribus invictis, coelique fragore tremendo.
Vidit quo infestus magis, atra quo excitus ira
Lucifer infrendens vires acuebat acerbas;
Quo conferre manus solitus, quo vertere cursum:
Vidit adhuc foedis spoliis, telisque cruentis
Perfusum campum, clari et monumenta triumphi:
Quaque via tandem hostes atro fulmine adacti
Omnes praecipitesque locis abiere serenis;
Quae patet et nunc per noctem, si nubila cedant,
Atque solo aethereo late candore refulget.
Ille igitur coelo veniens pernicibus alis
Descendit, mortisque domum pervenit ad imam.
Illic detentae simul horrentesque jacebant
Ter centum facies, mordentes vincula. et ipsa
Saeva gubernatrix; dura ad quam talia fatur:
O memoranda dolis, habeas, quod mente, petisti:

Ast tibi lex tamen, unquam non removenda precando.
Centum annos jaceas hic nullo laeta triumpho:
Postremum veniet, tibi vim qui infringat, et arma,
Atque aeternis te adstringat, jam perfida, vinclis.
Talia tunc fatus coelum se rettulit altum.
Nunc veluti in stabulis sonipes de more revinctus,
Si genus acer, perlongas si passus et horas,
Cum dominum videat tandem, optatumque levamen,
Emicat; et nunc huc, nunc illuc corpore toto
Se obliquat gaudens, strepitu et locus insonat omnis;
Haud aliter dirae mortis vinctaeque ministrae,
Nuntium ut audivere novum, omnes ore fremebant.
Ipsa magis jam, quae casus fuit auctor iniqui,
Gratatur. Longum illi sed nimis esse videtur
Impositum tempus, debet quo effoeta jacere,
Dum exultant illae, et trepidant hinc murmure montes,
Fit planctus contra, magnus fit luctus in Eden.
Candida jam caput ex undis aurora marinis
Extulerat, fluctuque diem portabat eoo;
Frondes cui leni fremitu, dulcesque volucres

Plaudebant ramis laetae de more canentes,
Gaudebantque novo rorantes lumine flores;
Cum aliger immissus coeli magna aequora tranans
Illuc pervenit, mandatum quo exerat altum.
Interea miseri secreta in parte latentes
Mussabant tristes, et jussa extrema timentes:
Quos simul ac vidit, tum saeva est ore locutus.
Nunc durum imperium submissis auribus audit
Adam, nunc vidit pallentia conjugis ora.
Terribilem adspectat faciem, gladiumque coruscum;
Et tacitus jussis coepit parere supremis.
Accedit quod idem monstrum, quod perfidus ille,
Qui fuit, infusus gremio, tot causa malorum,
Arduus assurgens campo, laetusque loquaces
Hinc hinc convolvens oculos, irrisit euntes.
Sic pulsi ex Eden primi miserique parentes.
Hinc omnis res in faciem se vertit acerbam.
Amplius, ut prius, haud illis volucresque feraeque
Stant placidae ante oculos; intus sed concita quaeque
Percepta rabie voces sprevere vocantum.

Amplius haud illis coelum splendescit amicum;
Turbidum at exterret tonitru, saevisque procellis.
Squalescunt late campi, locus horridus omnis;
Omnia praetendunt iras, quaeruntque laborem.
Tunc Adam extorris, planctu perfusus inani,
Circum errat solam terram camposque silentes,
Inscius incertusque loci quo sistere vellet,
Quamque domum strueret, quo pacto degeret aevum:
Constitit at tandem; atque vices perferre laborum
Incipit, et vitam votis urgere morantem.
Tempora dinumerans mors tunc inclusa tenebris
Impatiens stabat, donec, volventibus annis,
Adsit jam tempus, quo tandem emittere possit,
Quam velit e tantis unam saevisque ministris.
Ergo ubi transacti completis orbibus anni;
Ut longam post noctem lux cum optata nitescit,
Et tuba dat signum longe expectata molossis,
Ut claustro erumpant omnes silvasque fatigent,
Tunc alacres urgent portas, tunc voce lacessunt,
Qui praesunt venatu, dulcem escamque ministrant,

Haud aliter mortis dirae cupidaeque ministrae.
Se se urgent simul omnes, et simul omnia tentant,
Ut munus primum, ut laudem sibi quaeque pararent,
Ut turbam tantam sedet mors ipsa, petivit
A bello galeam, dejectam quae aerea sortem
Accepit. Concussis inde hinc nominibus, tum
Invidia ante alias punctum sortitur amatum;
Invisum monstrum, mundo et nil turpius illo:
Namque ipsa ante alias multumque operata sorores,
Artibus ipsa assueta suis, volventibus annis,
Quid non civium acerba domo Regumque potentum?
Dira virûm mentes verbis fallacibus implet:
In tristes, miserum! permutat gaudia luctus,
Et pulcris hominum factis indigna rependit.
Nonne Ligur celeber perlongum interritus aequor
Percurrit primus, magna spe concitus olim,
Donec felices, et caras attigit oras?
At quae torva domus regalis limina servat,
Quae veras laudes oculis non adspicit aequis,
Et corde immundo effundit furiale venenum,

In magnum celebremque virum tum perfida saevit.
Heu! quo vectus ligno olim felicibus Austris,
Infandum! vinclis rediit manicisque revinctus:
Et tamen omnes fortunatam invisere terram
Exoptant, pelagum remis atque aere fatigant.
Contra ille obscoenis vinclis et carcere caeco
Ingemit, et secnm fovet altum corde dolorem.
Heu sortes hominum miserae, facinusque nefandum!
Invidia ante alias ergo praelecta ministras
Sorte, ut saeviat in primos miserosque parentes,
Incertos torquens oculos jam squalida visu,
Longum carpit iter mortali plena veneno;
Pervenitque domum primi festina parentes
Quam statuere sibi; qui dein, labentibus annis,
Et natos videre novos, natasque decoras.
Ut vulpes pleno quondam insidiata cubili,
Exilit haud subito latebris, sed cauta revolvit
Nunc oculos, nunc aures, longam perstat et horam;
Non aliter monstrum illud, nunc hic, nunc latet illic,
Omnia perlustrans animo, qua infligere possit

Lethiferum vulnus. Fama est jam munera patres
Instructis solitos aris inferre precantes:
Id Cain, id Abel, patris ambo exempla secuti.
Quod coelo pergratum; nam ipso tempore, mirum!
Humano visu, placidas demissa per auras
Flammula carpebat devotas leniter escas;
Quae leni ascensu ad Numen depasta redibat,
Munera sed Cain, sic jussa, oblita relinquens.
Tanta ut monstrum conspexit discrimina rerum,
Percepit subito, via quae sibi mente tenenda.
Ut fuscis late terrae nox incubat alis,
Omnibus infundens placidam per membra quietem,
Et somnum fessus recubans percepit amicum
Infelix Cain; et quae mala nescius, instent;
Ipsa levis gradiens, tenebris obtecta, cubile
Ingreditur; tunc illius os ori applicat atrum,
Terrifico et labia inficit execranda veneno;
Hinc abiit. Fusum ut virus mixtumque saliva
Pectoris in latebras, et corpus manat in omne,
Amplius haud dulcis somnus, locus haud requiei.

Turbida tunc mens imperioso concita viro
Anxia pervadit, quo corde infligitur alto
Vulnus. Perpendit, quantum discriminis inter
Se fratremque sit; ut donis arrideat aether
Illius exhibitis; sua sed contra irrita dona,
Et tamen ille minor natu, atque minora rependit.
Omnia nunc volvit secum, omnia mente retractat.
Ut stellas errantes lux coelo expulit alto,
Turbidus hinc tecto excedit, camposque peragrans
Invisum in fratrem sic in se suscitat iram.
Scilicet haec patiar? longam sic ducere vitam?
Si insomnis nox una, ut nunc, prostravit et anxit,
Quid si haec in praesens semper, si semper et angant?
Fervidus ut leo, qui saltu speculatur ab alto
Perpastum pecus, atque famem persentiat atram,
Se erigit in spem, oculis laetus praedam arripit ipsam;
Non secus ille, siti fraterni sanguinis ardens,
Quae via sit sibi, qui modus, omnia mente requirit:
Nunc agrum, nunc ille domum repetit, nec mens stat.
Castus Abel perpastas tunc de more bidentes

Servabat viridi in silva, cui fistula cordi,
Qua castos insidens rupe explebat amores.
Ut domus excepit sero ipsum laeta canentem,
Tunc compressa ira Cain, animique furore,
Innectens falsam causam, fallaxque locutus,
Secum deduxit, facinus quo impleret iniquum.
Ut ventum, subito conceptae immittit habenas
Irae; jam fustem carpit, quem injecerat herba,
Conscius atroci facti; hinc invadit in illum.
Dejectum terra, et super innixus pede laevo
Illic ille tenet, voce illum territat alta.
Fulmineis dum oculis quaerit qua impingat, et instet,
Fervidus ut multam det mortem, ictumque minatur:
Ille humilis, supplex, manibus, gemituque precatur;
Invocat aeternum Numen, totusque tremiscit.
Ut gemitum Cain sensit, viditque decoras
Perfusas hinc inde genas lacrimisque, metuque,
Haesit nescius. Illa at quod nocte ebibit alte,
Nunc multum infesta vi urget praecordia virus;
Vicitque. Inflicto Abel primo vulnere claudit

Lumina ; virgineum corpus rigat undique sanguis;
Et faciem vulnus praesenti morte colorat.
Infectam hinc Cain abjecit sanguine clavam,
Exanimum ut vidit, terra immotumque jacere.
Nec satis est. Super insatiata concitus ira,
Currit, dona Deo frater quo offerre solebat.
Ipsam adit aram, ipsamque solo vi decutit imo;
Disjecitque manu rabida hinc hinc, omnia late.
Ut quondam ille leo, qui largo sanguine ventrem
Implevit, pecudem vicino in gramine adortus,
Dura vel in taurum saevus qui praelia movit,
Se mediam in silvam condit, totusque reclinans
Se reficit, tergo et stridentia vulnera lambit;
Sic dirus Cain silvam se contulit altam
Expletum furiis, fraterna et caede recentem.
At Siculum ut mare nunc hùc, nunc invertitur illuc,
Et nunc has oras undis, nunc verberat illas,
Ut parte ex alia compellunt aequora venti;
Haud secus illi animus diverso fluctuat aestu.
Nunc furor insurgit, nunc heu! timor imperat acer;

Qui tandem insedit totus per membra recursans;
Ut jam omnis levis aura illum terret; pavet ipse,
Sive domum repetit nunc, silvam sive revisit.
Docta Deo mens tanti Adam praenuntia luctus
Extitit in somnis, coeli cum tangeret axem
Nox medium, et, corde immissis his vocibus, angit:
Pastor Abel, carus caelo et tua maxima cura,
Nunc, Adam, nunc execrando funere mersus.
Invidia Cain crudeli morte necavit,
Qui furiis actus campos silvasque peragrat.
Nunc jacet heu! proprio faedatus sanguine terra;
Quem olim discerpet vel foedis unguibus ales,
Auferet aut flumen, nigro si increverit imbri;
Nam jacet, heu! prope, nec nescis quam turbidus urget,
Carpe iter, Adam, nunc natum perquire peremptum;
Conde piis illum manibus, jam conde sepulcro.
Hinc ille excussus somno primum extitit anceps:
Sperat se illusum visu, gaudetque timetque;
Et subito in cubitum surgens, secum omnia volvit.
Ut prima caepit coelum clarescere luce,

Carpit iter citus, et dubium mens ingravat atra;
Suspenso gressu visuque loca omnia lustrat.
Substitit ut vidit; pernoto in corpore volvens
Attonitos visus, tacitus longam adstitit horam.
Ut tandem, heus! oculis insperatum ebibit alte
Infandum luctum, hac super illum voce locutus:
Te natum video crudeli morte peremptum?
Sensibus an fallor? vera an vidisse negabo?
Ut totum vulnus foedavit sanguine corpus!
Ut jacet immotum, et nunc os color occupat ater!
Qui potuit te tantum contra perfidus ille?
Excidit haud animus? vivit facto ille peracto?
At non vivet. Crudelem terra ipsa dehiscens
Hauriet, aut celsis delapsus montibus acer
Aut aper aut leo multabunt hinc dentibus illum;
Nec lacrimas nec questus corde oculisque ciebit.
Sed quid stultus ego, jacto quid inania ventis?
Me me ipsum incuso, primus nam criminis auctor.
Idem ego, nate, tuum violavi vulnere corpus,
Quo casta aeternum clausisti lumina coelo.

Non ipsum Cain, potius me terra dehiscens
Accipiat, precor, absumat majora merentem.
En pulcher fructus, praeclari en conjugis ausus!
Cur laetos oculos advertit, cum impius ille
Floribus irrepsit, secum quid stulta locuta,
Fovitque imprudens gremio, longumque morata?
Me miserum nunc! quid tantum lenire dolorem,
Quid casu poterit tanto unquam avertere mentem?
Sed meritus patior, fateor; sed digna rependo.
Talia collacrimans Adam fundebat, et illum
Infodit terrae, dixitque novissima verba:

Qui, vel proprio ingenio, vel quacumque ex causa, in excolendis minimi momenti rebus, praecipuam operam et laudem conferunt, hi clamorem maximum excitarunt, quod nonnullis prosodiacis mendis liber hic infectus primo in lucem exierit; nunc, sibi temperent, precor; et satis expurgatum, si fieri potest, habeant. In Satan, quaeso, ne nimium invehantur, quod primam sillabam produximus; ita enim, iuxta Ricciolium, harum rerum peritissimum, esse potest.